QUERCUS REGIA

In Agro Staffordienſi,

Non, ut olim, JOVI, ſed jam

JEHOVÆ,

Deo Omnipotenti, Deo Miſericordi, Deo CAROLI, totiúſq; *Britanniæ* Servatori, Sacra.

FUgienti *Abſaloni* Quercus exitium,
Carolo refugium dedit;
Impietatis maximæ in *Abſalone* vindex,
Pietatis ſummæ in *Carolo* tutatrix.
Pios ſcilicet Patris ſubditos rebellis *Abſalon*,
Rebelles Regicîdas fugiebat Pius *Carolus*.
Duriſſimum ſanè fuiſſet Robur & planè ferreum,
Si *Carolo* Aſylum negaviſſet;
Impium verò & prorſus execrandum,
Si *Abſaloni* Patibulum non præbuiſſet.
O Arbor Juſtiſſima,
Quæ Piis ſubſidium, Impiis ſupplicium paras!

Cum Homines in Robora (aut durius aliquid) degenerarent,
Robur ipſum Humanitatem induit;
Et quod inter Homines invenire non potuit,
Inter Arbores Refugium reperit *Carolus*.
O mite Robur! O duros Homines!

Sed quid Homines voco, qui nihil humanum ſpirabant?
Diabolos veriùs dixerim, aut pejores Diabolis,
Qui Regi ſuo & Regnum & vitam extorquere cupiebant.
Sed Qui in Arbore redemit Humanum genus,
In Arbore *Carolum* ſervavit.

Qui ſub Quercu *Gideoni* Angelus apparuit,
In Quercu *Carolo* Satelles fuit.
Pii nimirum, ab Hominibus deſerti licèt,
Ab ipſis ſtipantur Angelis.

Propheta à *Bethele* redux ſub Quercu ſedit,
Turíſq; dum ſedit, fuit;
Sed Quercum deſerens in Proditorem primùm,
Poſtea in Leonem incidit.
In Quercu verò permanens *Carolus*,
Proditorias belluas effugit.

Cùm veſcerentur Glandibus priſci mortales,
Quercus Arbor Virtûs erat, nunc Arbor Vitæ
In Paradiſo Anglicano divinitùs collocata,
Ut tam Divino operi inſerviret.

Jam *Boſco-bello* redet *Dodonæum* nemus
Vanis & futilibus váticiniis olim infame.
Quercus iſta nimirum *Carolo* noſtro
Imperii firmitatem, vitámq; prolixam
Et verè prædixit & cum Deo dedit,
Longæva Quercus Arbor & firmiſſima.

Reviviſcite *Druidæ* veteres & hanc Arborem colite!
Convenite *Hamadruades*, & hanc Arborem incolite!
Adeſte *Dryades* & hanc Arborem
Teſtis tripudiis celebrate!
Aut potiùs abeſte omnes!
Nihil enim hanc Arborem ſacratiorem reddere,
Aut celebriorem
Poſt ſervatum *Carolum* poteſt.

Jactare poſthac deſinat Laurus ſolam
A Fulmine ſeſe eſſe incolumem;
Cùm & Robur à *Carolo* arcuerit
Fulmen inferni Jovis.
Non alibi ſcilicet quàm in Inferno cuſa ſunt
Tela, quæ *Carolum* petebant.

Nec Mala Aurea poſthac *Heſperides* crepent.
Quin omne Arborum fructiferarum genus
Uni jam Robori certatim cedat.
Quid enim *Carolo* dulcius aut preciosius
(Si Chriſtum excipias)
Aut ferre poterit Arbor, aut unquam tulit?

Druina dehinc nomine gaudebit *Anglia*,
Suáſq; Quercus vel ipſis præferet Cedris.
Robur nempe *Britannicum*
In mari Regnum defendit: in terris Regem,
Deo favente, incolumem præſtitit.

Deo ſoli ſit Gloria.
At verò
Arbor honoretur, cujus Nos umbra tuetur.
Arboti Regiferæ
Hoc qualitercunq; Elogium
D. D.

F. C.

June 1660